
IO. BAPTISTAE STELLAE ROMANI

Vtriusque Signaturæ Duodecemuiri

IN SVAM

AD EPISCOPATVM BITVNTI CONSECRATIONEM

ELEGIA.



VITERBII, Typis Discipulorum. 1620.

SVPERIORVM PERMISSV.



COMES IVLIVS CAESAR STELLA LECTORI.



PER absentiam fratris mei, elegiæ authoris, qui post suam ad Episcopatum Bitunti, consecrationem, eò statim se contulit, putaui posse me sine eius querela, aut offensione versus hos in lucem dare, quòd ipse præsens poeticarum suarum lucubrationum negligens, quas plures vtraq; nostra lingua composuit, ex suo more suppressisset. Meam euulgandi hanc elegiam voluntatem, ne fratri displicerem, nutantem pendentemq;, impulit vt id ipsum exequerer, Cardinalis Barbarinus, ad quem in omni re magnus debet esse respectus propter eius prudentiam, atq; ingenium singulare, sed in ea præcipuè in qua ipse est latinè grecæq; scientissimus; addidit causas cur id facerem, quamquā omnium instar eius solum esse poterat iuditium, inter quas ea eminebat, interesse Religionis, si eius Ritus ac

Cæremoniæ, quod Diuus Gregorius Nazianzenus prudenter fecerat, versibus aptè inserantur, qui facilè perdiscuntur, inhærentiq; memoriæ, perq; hominum manus, atq; ora celerrimè peruolant; Deinde dicebat, esse ex Episcopalis ordinis æstimatione existere ex eius corpore latinitatis àc poeticæ quæ ad Dei laudes celebrandas inuenta est, peritos; subiunxit ad hæc Cardinalis elegiam hanc indignam esse cur lateret; persuasit demùm vt publicarem; quod eo libentius feci, vt extaret nouum hoc nostri erga Principes Burghesios obsequij argumentum, quibus cùm tantum debeamus quantum soluendo non sumus, in huius debiti professione transferemus saltèm dilatæ solutionis culpam in fortunæ nostræ, non in voluntatis exiguitatem; debebatur etiam Bituntinis, Ciuitati apprimè nobili atq; armorum litterarumq; præstantia celebri, ab eorum Episcopo, hoc est amantissimo Patre, de eo optimè meritis mutuæ beneuolentiæ, præter paternam curam, publicum aliquod apud omnes gentes testimonium. Hæ fuerunt mei consilij ac facti rationes, cur elegiam inscio etiam authore, ediderim, quas si vt singulas non probaueris, lector, gaudebis saltem adductum me ab illis fuisse vt eam ederem cùm attentè perlegeris. Vale.


OS superi quorum de nomine plurima surgunt
Templa, Bitontini quæ posuere patres,
Dum mihi sacrorum imperium Sanctiq; potestas
Ordinis, in vestra qua fruar vrbe, datur,
Adsitis, dubiumq; viæ insuetumq; laboris
Dirigite, & tanti muneris este duces;
Non iniusta peto, nec enim sine numine vestro
Vt reor, oblatus hic mihi venit honos,
Gratus ob Autores, siue optime Paule voluntas
Hæc tua prima fuit, Scipio siue tua;
In me nam vestri concordia mira fauoris
Ambiguum, fuerit quis prior, esse facit:
Quorum ego præsidio pro Relligione foroq;
Iusta lacessitus fortiter arma geram;
Vos vero, mihi iam proprij, concedite Diui
Vt superem incolumis tædia longa viæ,
Quamuis perturbet verso velut ordine menses
Intempestiuis horridus annus aquis,
Ne mens victa graui curarum mole fatiscat,
Ne terat assiduus languida membra labor

Sufficiamq; operi, seu censor ouidia lustrem;
Ne lateat scabies si qua pererrat oues,
Si qua lues ęgros tentat malesuada Magistros,
Et proprium cura deside cessat opus;
Seu noua concilio præscribam iura coacto
Infirmi morbos apta leuare gregis,
Seu castos aditis Virgo quæ deuouet annos,
Tonsa caput nostra velet operta manu;
Siuè oleo pecus attingam, seu templa dicabo,
Pendula quæq; sacris turribus æra sonant,
Ascribamue alios Templis ad sancta ministros
Munia, per varios instituamq; gradus;
Quicquid agã, date vos animo, date corpore vi-
Arguar officio nè minor esse meo, (res,
Conuenit hoc sacris. celebri solemnia ritu
Quæ facimus, veteres vt docuere patres;
Scilicet experti norant quæ plurima poscit
Sedula commissi cura paterna gregis;
Par honor est oneri, sic magni pondus olimpi
Non illustre minus quàm graue fulcit Atlas;
Tu modo quisquis ades quæcũq; tueris & audis,
Singula pende animo, singula pondus habẽt;
Non ipsis, quibus ornamur misteria desunt
Vestibus, arcanis omnia plena notis.

Aspice

Aſpice, ſolemnes iam Barbarinus amictus
  Induit, auratus crura cothurnus obit;
Ad genua vndantem ſinuoſis vndiq; giris
  Quam manus artifici Dedala pinxit acu
E tenui tunicam filo circumflua latè
  Velat ad extremos altera lapſa pedes;
Hæc premit effuſum capitis velamen in armos,
  Zona ſed hanc nodo nexa fluente premit;
Aurea Crux, Diuum quæ cognita cõtegit oſſa,
  Pendulaq; è collo tænia longa fluit,
Nam breuis inſeritur lęuę cùm ſcandit adaram,
  Dalmaticaq; artus duplice veſte nitent;
Ingeritur poſtrema humeris, vbi penſilis hæret
  In partes veſtis continuata duas,
Altera, quæ tergum, quæ permeat altera pectus,
  Brachiaq; & geminum pandit aperta latus;
Præcingit digitos gemmati circulus auri,
  Serica thæca manus; aurea mitra comas,
Infula namq; illi roſeo coniuncta galero
  Additur; & gemino fulget honore caput.
Iamq; ſedet mediam ſella ſubnixus ad aram,
  Elatumq; oculos ante volumen habet,
At contra, qui coniugij ceu pronubus adſtat,
  Par habitu metum Præſul vterq; ſedet,

Pallia membra tegũt, quæ pectore fibula nectit,
  Insigni bifidus vertice candet apex;
Ille legit, modò multa meo de munere quærit,
  Et modò multa super Relligione rogat,
Quæ firmata palam solemnibus omnia verbis;
  Et veneror supplex accipioq; libens;
Ne promissa ferant rapidi tamen irrita venti
  Et cadat abrupto fœdere pacta fides.
Procumbunt alij genibus dẽso agmine circum,
  Stratus ego toto corpore fundor humi,
Vtq; omnes faueant alterna voce precamur
  Suppliciter superos ordine quemq; suo;
Sed te præcipuè te Spiritus alme vocamus,
  Idem cum Genito cum Genitore Deus,
Procedas ab vtroq; licet, tamen æquus vtriq;
  Non minor es Genito non Genitore minor;
Sancte veni, noua finge mihi, noua suffice corda
  Et noua corda nouus spiritus intus alat;
Ite procul viles curæ, non pectora tangat
  Dira fames auri, cæcus honoris amor,
Non fastus leuis, aut nimium studiosa supellex;
  Aut conquisitæ Persica mensa dapis,
Non odij fluctus, non turbo absorbeat iræ,
  Non animum in scopulos vẽtus amoris agat,

Tu rege

Tu rege ſublimi populos è ſede monentem,
Quodq; alios doceam, me prior ipſe doce,
Da reuocare animos rediuiuæ ad limina vitæ,
Quos grauis aſsiduo pondere culpa premit,
Edomitumq; nephas dicentis voce Magiſtri
Præcurrat iuſtæ verbera lenta manus,
Auguror, eueniet, modò tu mea vota ſecundes
Hoc eodem Virgo flamine facta parẽs,
Cuius in Aede noui mihi nunc tribuũtur hono-
Quæ vetus ęſtiua de niue nomẽ habet, (res,
Nam quõdam ſuper exquilias,dum ſirius ardet,
Stricta gelu cecidit velleris inſtar aqua,
Deſcripſitq; locũ templo quod nomine maius
Dicitur, & maius ſemper in vrbe fuit,
Maxima nunc illi ſed gloria Principe Paulo
Acceſsit patriæ iam patre iure ſuæ,
Nempe nouũ veteri cõſtruxit in Aede ſacellum,
Quod templis aufert omnibus omne decus,
In quo laude pari dubio certamine pugnant
Auctoris pietas artificumq; labor
Hic opus exegit quod nulla æquauerit ætas
Poſtera, vel Roma Iudice nulla prior,
Seu molem ingentem & faſtigia celſa tueris,
Seù ſola quæ nexo marmore picta nitent,

Aut lapides, aut æra legis, ſpirantia ſigna,
Quæq; animat viuo docta colore manus,
Vel nirida totas gemma fulgere columnas,
Stiria quas auro ducta nitente ſecat,
Ille vt fundat opes ædis pro diuite cultu
Exquirit cauſas ſemper habetq; nouas,
Non quæ ſydereo nitet æmula machina Cælo,
Non illi eſt gemmis quæ micat, ara ſatis,
Iuſsit inextinctis lucere altaria flammis
Ad ſacra perpetuos inſtituitq; viros
Et dulci interdum modulatas gutture voces
Pſallere & argutis organa pulſa ſonis,
Et grauia argento è ſolido inſtrumẽta ſacrorum,
Grandiaq; ex auro ſimplice vaſa dedit,
Egregijq; operis vario pro munere veſtes,
Vel quibus inſtruitur pompa vel vſus eget,
Addidit auguſto ſacraria digna ſacello,
Quæ dubites an ſint pulchra, vel apta magis;
Hic ego diuinis operatus inauguror Aris,
Hic mihi ius pleni muneris omne datur
Et benè, quod Paulus tribuit decus, auſpice Paulo
Suſcipitur, fælix omen, in Aede ſua,
Ore fauete omnes magnus dũ fauſta Sacerdos
Pro me ſolemni cum prece vota facit,

Et ca-

Et casti miles vetus ordinis, auctus honore,
Instruor in regimēn rite sacrorq; gregis,
Imprimiturq; animo Sanctis arcana potestas
Vocibus, externis exprimiturq; notis,
Quaq; patet latum vertex abrasus in orbem
Vngitur, & sacro bina liquore manus,
Sācte liquor, redeunte nouum quē cōficit anno
Pastor, opem cari præsidiumq; gregis,
Balsama dùm liquido redolentia miscet oliuo
Quæ per solemnes expiat ore preces:
Seù puer ingreditur dubiæ certamina vitæ
Lustrali emersus fonte salubris aquæ,
Seu propior pugnæ accedit crescentibus annis,
Tu pugilis veteri corpora more linis,
Siue sacerdotes & vasa sacramus & Aras,
Parte opere in tanto tu quoq; semper habes;
Tu mihi nunc sparso de vertice pectus inunda
Quodq; foris præstas, plenius intus age
Rore tuo dignos animi ferat hortus odores
Illita se dignum dextra ministret opus:
Traditur inde pedum, sæua pietate regendos
Sæuitiaq; pia quod monet esse greges
Et cum diuina contractum coniuge fœdus,
Circuit articulos quæ mihi gemma, docet,

 Vt ge-

Vt geminæ legis pro sternere cornibus hostes
  Bisgeminus Mitræ Pontificalis apex ;
Sed vox illa meas magis omnibus insonat aures,
  Exigit officium quæ magis vna meum ,
I , diuina palàm præcepta docere memento ,
  I , cupidum verbi gramine pasce pecus ,
Non ego non possum , viues parere parato
  Ni michi sufficiet qui iubet ipse Deus ,
Iustitiæ vindex in publica commoda seruit
  Cui mea diuerso munere lingua diù ,
Dum te Præfectum , te Barbarine Magistrum
  Par animis , passu sed breuiore sequor ,
A' quò maioris insignibus ordinis auctus
  Miles vt à veteri iam Duce iure sacror
Ardentesq; faces auratàq; munera panes
  Largior , & geminis condita vina cadis ;
Mox vna postquam diuersi fecimus Ara ,
  Protinus in solio , quo fuit ipse , locor ,
Inde gradum lentus moueo, stat nixa recuruo
  Dextra Pedo , crines gemmea Mitra tegit ,
Et collegarum medius , per inane sacelli
  In girum largo molior orbe viam
Dant incedenti spatium faustisq; sequuntur
  Ominibus , flexo poplite , quis quis adest,
His

His bona ſigna palam diſpertior intereundum,
Quæ Crucis in ſpeciem ducit aperta manus:
At mihi quod tacito lætantes ore ſuſurrant,
Barbarine palam ter tibi voce precor,
Deq; genu multos (vtinam ſit in omine pondus)
Non infelices auguror ire dies,
At quod voce palam tibi Barbarine rogamus,
Clam tacita Paulo mente rogamus idem,
Et tibi prima Cohors quo Præſide noſtra ſuperbit,
Scipio, Burgheſiæ fama ſecunda Domus,
In quē cuncta vnū velut in mare flumina uergunt,
A quo cuncta velut flumina fonte fluunt
Dum cunctis par cūcta regis, neu laſſet Atlantem
Parte ſubis ingens Hercule maior onus;
Nam rebus quamquam Pauli mens omnibus æqua
Sufficit; Imperij duplicis vna capax,
Te ſecum tamen Auguſtis aſſueſcere curis,
Et laudis partem gaudet habere ſuæ,
Qui me tale nihil meritum nil tale petentem
Sponte Bitontinas paſcere iuſsit oues,
Et Claris regnata diù Paſtoribus arua
Apta mihi, quamquam parua, colenda dedit
Parua alijs, mihi magna ſatis, cui cenſus abundet,
Sit placidus Cœli ſpiritus ampla domus.

Non

Non ignaua quies, non cura molesta, labore
Sed conditur honos, splendet honore labor,
Externæ ditionis egens Vrbs namq; regenda est,
Vnica, sed quamuis vnica, magna tamen,
Diues opum, clara ingenijs, fœcunda virorum
Bello, & pace ingens nec pietate minor,
Fœlix morte sua quam mercibus apta vehendis
Alluit Adriaci non procul vnda maris,
Mutandusq; parit largè cui plurima merces
Arbor, & omnigena fruge beatus ager,
Nam viuis quamquam orba sitit Peucetia lymphis
Et liquidi tellus arida fontis eget,
Nec vos humectat fluuius qui pingue Canopi
Irrigat æstiuo turbidus amne solum,
Damna tamen reparat, Terræ qui coniugis Ether
In gremium, fuso fertilis Imbre cadit,
Pro Nilo Cœlum, nubes pro fonte ministrant
Irrigui pluuias agminis instar aquas
Excipit excisis quas concaua terra cauernis,
Pellitur vnde agris, vrbibus vnde sitis,
Flumina dant alijs pecori communia potum,
Vos custodito proluit imbre liquor,
Quem fera non pedibus turbat, non inficit ore,
Vipera læthifero corpore nulla subit,

Nec

Nec grauis expirat ſtagnis morientibus aura,
Nec ſudat craſſo pigra vapore palus,
At fruges condit Cœli quas educat humor,
Lętaq; cęleſti nectare poma ſapor;
O' vtinam ſic diuini quoq; copia fontis
Intima fœcunda pectora rore riget
Vnde meos non eludant ſata culta labores;
Spemq; auidam largo fœnore vincat ager,
Hoc mihi contingat; Vos ò quibus integra floret
Vis animi & ſolido corpore membra uigent,
Vos ſocij, quos ordo pares mihi iunxit vterq;
Pergite quò merces digna labore vocat,
Sub Paulo qui cum caſtris meruiſſet in ijſdem
Miles, ad Imperium per breue venit iter,
Iura tribunali præſcribite, ponite leges
Iudicibus, dubij ſoluite bella fori,
Conſulite vt votis princeps indulgeat æquis,
Aut probet, aut iuſta reſpuat aure preces
Nos noua cura trahit, iam nunc ſuſpendimus aræ
Barbarine tua ritè recincta manu
Quæ non indecores bello detrita forenſi
Te duce te ſocio geſsimus arma diù,
Iure quidem, ne ſi ſubeant faſtidia noſtri,
Quæ puero plauſit, ſibilet Aula ſenem;

At quis

At quis oliuiferis vbi panditur Appula campis,
Ora quis aperta me modo sistat humo?
Quando Bitontinę succedam sedibus Vrbis?
Visere dilectas quando licebit oues?
Solis equi properate viam, quæq; obstat eunti
Aspera se celeri vere remittat hyems,
Interea saluete greges, Vrbs hospita salue,
Iam patria, quamuis hospita, cura magis;
Cuius opes strepitumq; volens, fumumq; relinquo,
Et iuuat in gremio me nihil esse tuo.

FINIS.